



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput III. De bono pacifico homine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

## CAPUT III.

*De bono pacifico homine.*

I. **T**ene te primo in pace, & tunc poteris alios pacificare.

Homo pacificus magis prodest quam bene doctus.

Homo passionatus etiam bonum in malum trahit, & faciliter malum credit.

Bonus pacificus homo omnia ad bonum convertit.

Qui bene in pace est, de nullo suspicatur. Qui autem male contentus est, & commotus, variis suspicionibus agitur; nec ipse quiescit, nec alios quiescere permittit.

Dicit sæpe, quod dicere non deberet, & omittit, quod sibi magis facere expediret.

Considerat, quod alii facere tenentur: & negligit, quod ipse tenetur.

Habe ergo primo zelum super te ipsum,

ipsum, & tunc iuste zelare poteris etiam proximum tuum.

2. Tu beneficis facta tua excusare, & colorare, & aliorum excusationes non vis recipere.

Iustius esset, ut te accusares, & fratrem tuum excusares.

Si portari vis, porta & alium.

Vide, quam longe es adhuc a charitate, & humilitate, quæ nulli novit irasci, vel indignari, nisi tantum sibi.

Non est magnum cum bonis & mansuetis conversari: hoc enim omnibus naturaliter placet: & unusquisque libenter pacem habet, & secum sentientes magis diligit.

Sed cum duris, & perversis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus pacifice vivere magna gratia est, & laudabile nimis, virileque factum.

3. Sunt, qui seipsum in pace tenent, & cum aliis etiam pacem habent.

Et

Et sunt qui nec pacem habent nec alios in pace dimittunt: alii sunt graves, sed sibi semper graviores.

Et sunt, qui seipfos in pace retinent, & ad pacem alios retinere student.

Est tamen tota pax nostra in hac misera vita potius in humili sufferentia ponenda, quam in non sentiendi contraria.

Qui melius scit pati, majorem tenet pacem. Iste est victor sui, dominus mundi, amicus Christi, hæres cœli.

#### CAPUT IV.

*De pura mente, & simplici intentione.*

**D**uabus alis homo sublevatur a terrenis, simplicitate scilicet, & puritate.

Simplicitas debet esse in intentione, & puritas in affectione.

Simp